DEO OPT. MAX VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIIII. MART.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, Scholarum Profeſſore, Præſide.

1082

Eſt-ne in medendo Auri ſalutaris vſus?

VT Philoſophia Medicina eſt animi, ſic Medicina quædam veluti corporis Philoſophia eſt, non quidem omnium quæ huius mundi ambitu continentur, otioſa nimiſue anxia contemplatrix; ſed quæ humanæ vitæ ſalutiſque tuendæ gratiâ, ſingularum rerum naturam ac vires omnes attentè venatur ſcito ac prudenti earum vſu, cui nuſquam non facem præferat ratio. Nimirùm artem adeò diuinam profeſſi eò ſua omnia referunt conſilia, vt homini vitam ab omnibus, quibus eſt propoſita morborum telis, ſartam tectamque præſtent; ac tam longè proferant, quàm poteſt ſpe votiſque profitendis extendi. Quò autem id aſſequantur, non vna illis eſt ineunda agendi ratio: nunc enim cum ægro, nunc cum ſano res eſt. Videndum itaque vt huic eadem ſemper ſit valetudinis conditio; illi prorsùs alia. Valentium ſanitas retinetur eorum vſu quæ temperiei & ſubſtantiæ modo cum corpore noſtro conſentiunt: at eidem qui planè aduerſatur morbus contrariis profligandus. Illa vocant alimenta; hæc medicamenta, quæ nullam niſi irritando humorum vacuationem promouent. Hi duo tantùm ſunt rerum quæ ad vſum Medicum trahuntur ordines: cætera quæ habet orbis, ab hoc cenſu longè remota ſunt: aut enim inimicâ & peſtiferâ quam fundunt vi, noſtrum corpus demoliuntur, notanturque veneni nomine; aut ita ignaua ſunt & quauis in nos agendi poteſtate defecta, vt abſque vlla ſeu iuuandi, ſeu nocendi facultate iaceant, viciſſimque nullâ arte à calore noſtro modificari, nedum domari queant.

NON quicquid in humanum corpus ingeritur, ipſum afficit, aut ab eo afficitur. Quò alterutrum fiat, id corpus immutet, aut ab hoc immutetur neceſſe eſt. Eius porrò quæ hauſtâ re aliquâ in nobis perficitur mutationis multiplex eſt ratio; nunc enim calor omnium quæ in viuente corpore geruntur autor & opifex, ita quæcunque habet ad manum vincit, vt ea omni repugnandi virtute ſpoliata cogat ſuarum eſſe partium, corporique, ſeu ipſi ſacramento dixerint, firmiter adhæreſcere; tumque manet incolume quod ſic bellè nutritur animal: nunc obiectæ rei cum qua congreditur vires nimiùm pernicioſas expertus, herbam porrigit, cum ipſaque cadit animante: aliàs verò ſecurus victoriæ manus conſerit cum aduerſario, quem etiam ad pugnam excitatum, nihil demùm auferre ſinit aliud, quàm fœdum & importunum humorem, locupletem non ſatis fortiter geſtæ rei teſtem. Hoc vſu venit ac perquàm familiare eſt medicamentis, quorum certè gradus ſunt plurimi: alia ſiquidem tam proximè ad veneni naturam accedunt, tantamque corpori vniuerſo vim inferunt, vt calorem natiuum penè ad deditionem cogant: quædam nihil aliud quàm manum inijciunt impuris humoribus, quos & ſecum abducunt exiguntque ſatis validè, partium alioquin integerrimarum temperie quam-minimùm violatâ. Sedent infimo loco, at non indigniori, quæ vel in primo conflictu medicamenti velut temerè vſurpati nomen, & naturam exuunt; & in alimentorum familiam transcribuntur, ſeruato ab adoptione leui aliquo priſtinæ conditionis ſigno. Sanè quò quidpiam puri ſincerique alimenti titulo gaudeat, debet hac eſſe prærogatiuâ donatum, vt non modò conuenienti qualitatum commenſu, ſed etiam ſuperſtite ex anteactâ vitâ ſpiritu conſociali corporis noſtri naturam propiùs imitetur, cum eâque congruat. Quocunque te conferas, præſto quidem tibi erunt infinita alimentorum genera, at pauca reperias eximium illum perfectionis apicem nacta; plurima quæ ad hoc illud ue extremum deflectant. Ipſa quæ nobis admodum amica videtur lactuca, alit quidem, ſed eâ lege, vt interim ſuo frigore calorem obtundat; imò, quod vix credas, eius expreſſo ſucco ipſe propemodùm conglaciat ſanguis. Contra non ſatis dilutum aut largiùs hauſtum vinum (cuius blandienti dulcedine capti plerique vix aliud vitæ præmium norunt) colubri inſtar, exertis ſui caloris aculeis, ijs ferè quorum ſinu fouetur, perniciem creat: nec valde diſſimilis multorum aliorum ratio, quæ cùm ad vitæ diuturnitatem, tum ad morbos abigendos, aut proferendos magnas habent opportunitates; vt eorum delectum habere, non niſi peritiſſimi ſit artificis.

QVICQVID eſt in hac rerum vniuerſitate, licet ad aliquem ſit hominis vſum, non continuò tamen ad alendum, aut ad medendum eſt comparatum. Lapides bellè quis adhibeat ad frangenda grana, domumque extruendam: at ſi quis Medicus eos ad ſuos transfert vſus habetque inter medicamenta. ipſe pluſquam lapis eſt; nec tam homines, quàm lapides fallit. Certè dum olim Medicina adhuc Græcorum alumna, caſtitate virginali maioreque rerum prudentiâ, quàm remediorum numero atque apparatu floreret, firmior erat valetudo ex parco & ſimplici victu, proſtantibuſque vel ad pauperum cœnulam remediis; at vbi Arabum commentis turpiter eſt corrupta, ac in abdominis & gulæ vitia proiecti homines cœpere premi morborum agminibus, ipſamque vel inter delicias ſanitatem exquirere, ſtatim Sycophantæ neſcio qui toti ex fraudibus & mendaciis ficti, lapides, maris eiectamenta, animalium recrementa, pilos, vngulas, dentes, cornua, ingentemque quiſquiliarum turbam in ſuas inuexerunt officinas. Neque hîc ſubſtitit Auaritia luxuriæ partus, in viſcera terræ tanquam parum fertilis ac benignæ quàqua calcatur, penetrauit; ab ipſaque Manium ſede metalla, ferrum temeritati mancipatum, argentum, aurumque vitæ peſtes eruit. Quoto enim cuique huius effodiendi cauſa eſt Medicina? procul dubio iſtæ Ciniflonibus Pyrauſtarum more inter ignes verſantibus decantatæ compoſitiones, quæ nomen ex auro cuſtodiunt, eius ne tantillum quidem admittunt: ſunt pro retijaculo, quo grande æs alienum expiſcantur; ægris, quibus haud quaquam opitulantur, etiam in morborum nullâ arte fugandorum certiſſimam ſpem erectis.

AVRVM metallorum princeps, è ſulphure & Mercurio, ſi qua Chymicis fides, vel potiùs è puriore terræ halitu ac vapore concretum, Solis imago & ſoboles, imò terræ quidam veluti Sol vulgò perhibetur, rectiùs verò (ex quo res ipſæ, ſeu fœliciore quondam æuo ad vſum vitæ permutari deſierunt) ſtrenuus ſcelerum omnium hortator & Magiſter in totum è vita, multóque magis è Medicina remouendus; adeò nullum corpori robur conciliat, eóque nulla quantumuis fugax ægritudo expugnatur, quo tamen expugnantur cætera. Quâ enim eſt temperie, excellentique duritie, grauitate, craſſitie ac denſitate, neque corpus alterare, nec ab ipſo alterari, neque demùm fornacis, ac Regiæ aquæ ſtygiâ vi tranſmutari poteſt, quidquid Paracelſi grex garriat: quin ita ſuam vbique retinet indolem, vt licet teri, diduci, comminui, diſſolui tamen nequeat. Quî igitur hominem exhilarat? Auarum quidem, ſic vt nihil æquè: hauſtum verò, ſi modò impunè poteſt hauriri, mandique aut potulentum reddi, ne minimùm iuuet, facit alieniſſima eius temperies ſicca & frigida, congenito hominis calori atque humori infenſiſſima.

QVANTÆ is eſt dementiæ, qui fugientem è corpore animam auro redimi, & quaſi pulcherrimis vinctam compedibus non inuitò retineri arbitratur. Quàm ſtolidi, auroque ipſo ac mutis rebus ſtupidiores, qui victu conuenientibuſque præſidiis cum optimo medendi artifice relictis, non dubitant ſua illis credere capita, qui ſuo ſe auro vno nullum morbi genus non exciſuros prædicant: aliter ſumma artis exprimitur. Languorem affert Hydrops aquarum mole caloris reliquias propediem extincturus; ſerum abducito, ſuumque, ſi res adhuc patitur, iecori robur reddito, ipſe ſtatim conualeſcet æger. Mentem malè habet mœſtitia, cor frequens exolutio, nubem vaporum, & humorem vnde illi prodeunt, demito; hac vnâ re ſatis hominem recreaueris. Corpus torret ac decoquit febris, ipſum omni arte perfrigera, mox ipſa ſponte recurret ſanitas. Vitæ periculum intentat peſtis, remoue putredinis fontem, & ſuccurre Cardiacis non auri inſtar inertibus, ſed quæ amicas qualitates ad cor effundant, munus tuum impleueris. Adit ad te Elephanticus, quam non audes polliceri ſalutem, auro ſe præſtiturum iurat Fumiuendulus: profectò vt ſit eius ad medendum inanis & vana vis, hunc ſaltem, eo dato, fructum feret æger, quòd ſapientior fiet & cautior, ne cuiuis Medicum mentienti ſtatim temerè credat.

Non eſt igitur in medendo Auri ſalutaris vſus.

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS GALLAIS Argentanæus, A. R. S. H. M. DC. LVIII.